

# **Landesbibliothek Oldenburg**

## **Digitalisierung von Drucken**

### **Martini Chemnitii, Doctoris Theologi celeberrimi, Harmonia Quatuor Evangelistarum**

Quam ab Eodem feliciter inchoatam ... D. Polycarpus Lyserus, et D.  
Johannes Gerhardus, ... Is quidem continuavit, Hic perfecit ; Opus  
Eruditionis Stupendæ, Orthodoxorum consensu approbatum, idemque tot  
Eruditorum desideriis adhuc expetitum

**Chemnitz, Martin  
Leyser, Polycarp  
Gerhard, Johann**

**Hamburgi, MDCCIII**

**VD18 90617681**

Caput IX. Continens Historiam, Circumcisionis Domini, Lucae. 2.

**urn:nbn:de:gbv:45:1-18203**

cum à Cesare Romano talis descriptio, sicur dictum est, imposita esset. Nec dubium est, illos, qui erant præcipui de domo & familia Davidis, diligenter inquisivisse ex pastoribus, de singulis circumstantiis. Audi vero quid consecutum sit. Omnes, inquit, qui audierunt, admirabantur de his, que pastores narrabant, hoc est, non potuerunt omnino contemnere illud trem illam apparitionem angelorum, quæ facta erat pastoribus, cum non esset verisimile, homines simplices hæc ita posse configere. Sed quando considerabant, quod non sacerdotibus, ut de Baptista factum fuerat: non illis, qui de domo Davidis in senatu Synedrii erant, facta esset illa per angelos revelatio: sed pastoribus, hominibus abjectissimis: & præterea videntes sumnam exinanitionem & paupertatem nati infantis, offensi sunt. Plerique igitur mirabantur tantum, non autem credebat in sanctum illum esse Christum Dominum: quia habebant rationes, quæ movebant, ut crederent, erant contraria, quæ offenderent. Nectamen dubium est, apud aliquos illud verbum Domini efficax fuisse, juxta dictum Isa. 55. v.

11. Nam & credentibus tribuitur admiratio, Isa. 60. v. 5. Hoc igitur modo in civitate Davidis à domo & familia Davidis primum exceptus fuit Christus.

Pastores) verò cùm viderent omnes mirari, paucos verò credere, ipsi de divina revelatione certi, (*reversi sunt*) ad Turrim Eder, ad officia vocationis suæ (*glorificantes DEm*), quod digni habiti fuissent alia audire, quodque rem ita se habere vidissent, sicut ex Angelis audierant. Illa enim verba (*Sicut dictum fuerat ad ipso*) propriè ad verbum (*viderant*) referenda sunt.

Maria verò illa, quæ pastores narrabant, diligenter memoria mandabat, traditura postea illa Apostolis: & apud se, in corde suo instiuebat collationem horum cum iis quæ ex Gabriele audierat: & hæc omnia cum Scripturæ oraculis conferebat, quæm pulcrè inter se convenient, ut ita fides confirmaretur. Hoc enim significat οὐμβάλλειν. Et præclarum est exemplum, quid pis faciendum sit toto mundo dubitante seu admirante, vel etiam ridente ea, quæ divinitus perfecta sunt.

## CAPUT IX.

### CONTINENS HISTORIAM, CIRCUMCISIONIS DOMINI,

Lucæ 2.

### HISTORIA CIRCUMCISIONIS CHRISTI,

Luc. 2.

21. Καὶ ὅτε ἐπλήθησαν ἡμέραι ὥκτως ἐπέπεμψεν τὸ πατέριν, καὶ ἐκλήθη τὸ ὄνομα αὐτῷ ΙΗΣΟΥΣ, τὸ καλυφὲν τὸν Ἀγγέλον, τὸν δὲ συλληφθῆναι αὐτὸν εν τῇ κοιλᾳ.

21. Et postquam consummati sunt dies octo, ut circumcidetur puer, vocatum est nomen ejus JESUS, quod vocatum erat ab angelo, priusquam in utero conciperetur.

### Periocha Historia circumcisionis Domini & explicatio nominis IESU.

**M**Entio octava diei, *ἀκολυθὴ* *historiarum*. Mostendit manifestius, quam ut de ea dispatandum sit. Et simplicitas descriptionis historia indicat, in externa circumcisione Christi nihil accidisse quod vel extraordinarium vel miraculosum fuerit. Et phrasis Scripturæ est, (*Postquam consummati, vel impleti sunt dies octo.*) Non enim sensus est, quod post exactos octo dies, nono fuerit circumcisionis, sed cum exactis septem diebus octavus dies advenisset, sicut quinquaginta dies dicuntur, Acto. 2. v. 1. impletum, cum quinquagesimus adfuerit. Sicut & Gen. 25. v. 24. & Lucæ 1. v. 57. dicitur, impleti sunt dies, ut pareret. Coniunctio *καὶ* videtur abundare, ideo à multis interpretibus omittitur: sed quia Græca exemplaria illam legunt, ita constructio ordinanda est. (*Postquam consummati sunt dies octo, ut circumcidetur puer,*) scilicet, circumcisione est (*& vocatum est nomen.*) Non enim sen-

sus est, octavo die cùm circumcidendus esset puer, omissa circumcisione nomen ejus vocatum. Similis phrasis mox sequitur etiam in historia purificationis. Octavo igitur die circumcidebantur etiam reliqui infantes, nec alia ratione circumcisione facta est in puerō Iesu, quæ sicut describitur, Gen. 17. Usitatum etiam hoc in aliis fuit, quod in circumcisione infantibus nomina imponebantur, sicut testatur historia de Johanne. Monachi igitur cùm putarent, de hac tam vulgari historia nihil speciosè posse dici, finixerunt, præputium præcisum à corpore Domini post annos 800. & amplius, oblatum Carolo Magno ab angelo, qui ei peculiarē cultum decreverit. Sed nos omissis fabulis de re ipsa dicimus.

De historia hoc observandum est: quod circumcisionis usitato more legis, non facta fuit à parentibus solis: sed convenerunt & alii, & de ratione

tione nominis imponendi deliberarunt, sicut ex historia circumcisionis Baptista colligitur. Octavo igitur die, cum hic infans circumcidetur, & adfessent etiam alii, Maria & Joseph absque dubio quædam de revelatione per Angelum facta exposuerunt, cur nomen ejus vocandum eset JESUS, ut ita manifestatio mysterii incarnationis filii DEI, per 40, illos dies sensim clarius proponeretur. Illa vero quæstio, si explicetur, non parum habet utilitatem: Quare Christus voluerit circumcidiri. Ratio enim circumcisionis per se & in genere hæc fuit: ut admonerentur circumcisæ corruptionis originalis, scilicet, quicquid ex carne nascitur, ipsa origine generationis vitiatum esse, quia in peccatis concipiatur & nascatur. Venturum autem semen benedictum, cuius fide à labe originali mundetur; & circumcisione esse signaculum iustitiae illius fidei, Rom. 4. vers. 11. Sicut ipsi etiam Rabini vestitam circumcisionis benedictionem hanc recitant. Deus vivus pars nostra & protector nostra, præcepit erui animam nostram ab inferis propter foedus suum, quod posuit in carne nostra. Puer autem JESUS, de Spiritu sancto sine ulla labie originali conceptus, non indigebat alio, per quem liberaretur. Est enim ipse Salvator. Quæritur ergo, quare signum circumcisionis acceperit. Neque enim suo exemplo docere voluit, sacra illa signa sine vero usu leviter, & quasi per ludum tractanda esse. Commemorant autem multæ causæ: nos præcius annotabimus, quarum consideratio utilem doctrinam ostendet.

**PRIMA** est, ut statim post nativitatem re ipsa comprobaret, se non in phantasmate apparuisse: sicut quando Angeli humana specie apparent. Carnem igitur præputii secundum legem, ut verus homo, præcidi passus est.

**SECUNDA**: Quia circumcision erat externa nota qua semen Abrahæ ab omnibus aliis gentibus discernebatur: ut constaret, ex quo populo expectandus esset Messias. Christus igitur, ut ostenderet, se esse verum semen Abrahæ, suscepit notam illam circumcisionis, quam ut institutionem DEI, suo tempore beatam & utilem, suo exemplo comprobavit.

**TERTIA**: præciua causa, quare Christus voluerit circumcidiri, colligitur ex quinto capit. ad Galatas vers. 3. & Rom. 2. vers. 25. ubi Paulus dicit: Circumcisionem quando non usurpatur ut signaculum gratuitæ iustitiae fidei, esse obligacionem totius legis servanda. Christus vero ratione sua persona, non fuit sub lege. Nam secundum divinam naturam est Dominus legis: secundum humanam vero naturam conceptus est de Spiritu sancto sine peccato: pro nobis ergo, quorum culpam & reatum in se receperat, ipsa circumcisione sub lege factus est, ut eos qui sub lege erant redimeret, Galat. 4. vers. 5. Fuit igitur circumcision Christi solennis obligatio coram Deo, se velle pro toto genere humano onus legis in se transferre, eique satisfacere, & ferendo penas legis, & praestando perfectissimam obedientiam. Illa vero obligatio, quæ in circumcisione cœpit, tandem in passione persoluta fuit.

Harm. Tom. I.

Etsi hac ratione consideretur circumcisione Christi erit gravissimum spectaculum, quod virgam humeri & sceptrum exactoris, Is. 9. vers. 4. Deus Pater à genere humano tollit, & importabile illud jugum legis, Act. 15. v. 10. imponit filio suo incarnato, qui ipsa circumcisione solenniter se obligat ad plenam persolutionem, ut jam post circumcisionem sit ~~υπό νόμον~~. Imposita enim sarcina legis, ipse jam est sub lege: & Paulus ad illam similitudinem respicit, quando alius sub onere alterius humeros supponit, tunc prior illo onere levatur & liberatur. Inquit enim, factus est sub lege, ut eos qui sub lege erant redimeret, Galat. 4. vers. 5. Licet igitur puer hic in sua persona sit sine peccato: tamen quia est agnus, qui totius mundi peccata in se recepit, ita ut Paulus dicat, ipsum factum esse peccatum, 2. Cor. 5. v. 21. voluit se in circumcisione, quæ propter peccata instituta fuit, ut agnum omnium peccatis totius mundi coram Deo patre sistere, & solenniter se ad satisfactionem pro omnibus obligare. Et propter illam obligationem convenientissime pueru publicè impositum fuit nomen JESU: quod à peccatis populū suum salvaturus esset.

**QUARTA**: Quia circumcisione commonefactio & sigillum erat venturi benedicti seminis, ut igitur Christus ostenderet, & illam figuram in se impleri, atque illa impletione finem imponi legalibus ceremoniis, quæ pars est libertatis Christianæ, ideo circumcisioni voluit.

Has judico esse præciucas causas circumcisionis Christi, quæ multæ utiliter monent. Illud enim quod solet afferri, Christum voluisse extera conversatione, licet causam nullam haberet, se accommodare receptis legibus & moribus, ut exemplum obedientiæ nobis præberet, frigidus est, nec satis explicat mysterium circumcisionis Christi.

Imposuerunt autem Maria & Joseph pueru in circumcisione nomen (JESU,) sicut mandatum ab angelo uterque acceperant, & ante conceptionem & post conceptionem: Luc. 1. vers. 31. Matth. 1. vers. 21. Repetitur autem hæc clausula (Quod vocatum erit ab Angelo priusquam in utero conciperetur,) non tantum, ut obedientia Mariæ & Josephi celebretur: sed principaliter ideo, ut hoc ratum & firmum sit, non humana aliqua intentione, quæ errare potest, sed divina auctoritate & mandato, nos Christum invocare JESUM hoc est, in ipso nos querere salutem à peccatis & ex inimicis nostris. Matth. 1. v. 21. Luc. 1. 71. Est enim nomen illud huic pueru impositum, non hominum arbitrio, sed Dei decreto & IESU priusquam in utero conciperetur, & ideo Petrus, inquit, Non est aliud nomen datum hominibus sub celo, in quo oporteat nos salvari, nisi nomen JESU, Act. 4. v. 12.

Porrò significatio nominis (JESU,) ex interpretatione Angeli, Matth. 1. vers. 21. manifesta est. Ideo scilicet vocari JESUM, quia salvaturus sit populum suum à peccatis eorum. Sed de Etymologia variè disputatum est ab eruditis. Osiander enim multis contendit, nomen Jehovah ante ineffabile, in nomine IESU insertione literæ

schin effabile factum: & propterea Lucam dicere nomen illud, antea scilicet ineffabile, ab An-  
gelo vocatum, hoc est, pronunciatum fuisse in-  
 nomine Iesu. Ut si his literis יהוה inseratur li-  
tera ו conficitur inde nomen יהושע. Ac dis-  
putat literas illius nominis, si ita scribatur, si-  
gnificare duas naturas in Christo, & persona-  
lem earum unionem. Et quia legimus Jehovah  
est salus. Psalm. 3. v. 9. & Ef. 45. v. 31. Jehovah di-  
cit non est Salvator prater me. Contendit igi-  
tur Angelum, quoniam rationem nominis hanc  
reddit, (Quia saluum faciet populum suum à peccatis.) ad hanc etymologiam respicere, quia solius Je-  
hovah proprium hoc sit. Sed hanc disputatio-  
nem Hebraistis relinquam.

Mihi simplicius hoc videtur, quod Angelus  
etymologiam sive radicem, sicut Grammatici  
vocant, nominis Iesu ostendat, quando inquit:  
(Saluum faciet &c.) Quia enim scriptio &  
pronunciationem, quae in Graeca lectio tunc  
usitata fuit, quae Jehoschua ubique reddidit in-  
σων, Angelus retinet, ne mutatio scriptio &  
pronunciationis, verae significationi nominis  
aliquid caliginis offunderet, ostendit in explicatio-  
ne radicem vel etymologiam: quod scilicet  
deriyetur à Verbo Hiphil יְשַׁׁרֵּן vel à יְשַׁׁרֵּן  
quod salvare, & salvum facere, significat. Judae ex-  
cecati, quia honorem salvationis Christo detra-  
hunt, literam radicalem y ex nomine ipsius ex-  
triverunt, ne à salvandi officio apud ipso nomen  
habeat: scribunt enim יְשַׁׁרֵּן. Et observanda  
est virulenta ipsorum blasphemia, quam sub hac  
scriptione occultant. Habent enim peculiares  
suas abbreviaturas, quibus capita sive initiales  
tantum literas dictio nis scribunt. Ita quando  
dicere volunt, יְשַׁׁרֵּן deleatur nomen  
ejus, scribunt tantum וָ. Ne vero deprehenda-  
tur, quod Salvatorem nostrum ita appellant,  
ideo addunt finalem, & scribunt וָ. Certè  
quando Christianum aliquem nominant ad-  
dunt וָ hoc est, deleatur nomen ejus. Quid  
igitur de illa Iudaorum scriptione sentiendum  
sit, manifestum est: quam tamen aliqui tan-  
quam fundamentum ponunt suarum disputa-  
tionum.

Sicut aitem appellationem Messiae sive Christi,  
qua multis & Regibus & Pontificibus antea  
usitata fuerat. Salvator assumpsit, ut ostenderet,  
figuras in se impleri: Ita duo præcipui viri  
hoc nomine יהוֹשֻׁעַ (sicut Graeca lectio habet) sub  
Veteri Testamento appellati fuerint. Ille scilicet,  
qui post mortem Mosis dux fuit populi Is-  
rael, & introduxit illam in terram promissionis.  
Et postea, qui in reditu populi Israel ab exilio  
Babylonico summus Pontifex fuit, habuit no-  
men יהוֹשֻׁעַ, Agg. 1. v. 1. Zach. 3. v. 1. Et quia utraque  
introductio figura fuit vera & æterna patria & requieci, in quam Messias populum suum  
introducturus erat, nomen illud divinitus Christo impositum est. Est enim dux populi, Mich.  
5. vers. 2. Dan. 9. verl. 25. & Sacerdos, Ps. 110. v.  
4. hoc est, verus est יהוֹשֻׁעַ. Usitatam igitur pro-  
nunciationem hujus nominis Angelus reti-  
net: sed simul ostendit veram originem, quod

scilicet nobis peccato perditis salutem afferat.  
Verbum enim וָ rationem significationis in-  
de habet, quando quis ad miseros, perditos &  
omni ope defititos accurrit, & non verbis sed  
ipso opere se ipsis applicat, ut opem ferat, libe-  
ret & salutem afferat. Semper enim ita usur-  
patur, ut simul complectatur terminum salva-  
tionis à quo & terminum ad quem: ut, Terminus  
à quo: Salvabit populum meum à Philisti-  
nis, 1. Reg. 9. vers. 16. Ex omnibus angustiis sal-  
vavit eum, Psalm. 3. 4. vers. 7 de manu Madiam,  
Jud. 8. vers. 22. 1. Reg. 23. vers. 2. Ceila obse-  
fa & direpta salvatur. 2. Reg. 21. vers. 17. cum gi-  
gas Davidem fatigatum interfectorus esset, Abi-  
la salvat ipsum. Terminus vero ad quem de-  
scribitur Isa. 45. vers. 17. Irael salvatus est in  
Domino, salute æterna: quia DEus justus & sal-  
vans non est prater me. Jerem. 17. vers. 14. Sal-  
va me, & salvus ero, Psalm. 51. v. 14. Redde mihi  
gaudium salutis. Et qui in bello, cæde aut  
aliò periculo servati evaserunt, vocantur σωτῆρες &  
σωτηρεῖοι. 1. Reg. 19. vers. 17. Job. 1. vers.  
15. Num. 24. vers. 19. Jos. 9. Fuerunt igitur in-  
veteri populo, qui vocati sunt & Jesus & salvato-  
res, sed termini à quo & ad quem faciunt discri-  
men. Per illos enim DEus à periculis & hosti-  
bus externis liberationem & felicitatem tem-  
poralem sive politicam praefit. Angelus vero,  
ut ostendat non politicum aut carnale fore Chri-  
sti regnum dicit: (vocabitur Jesus, quia populum  
suum salvabit à peccatis ipsorum.) & per consequens,  
à stipendio seu pœnis peccatorum. Senus igitur  
explicationis nominis Iesu hic est. Si lan-  
givus est populus Messiae, perditus igitur est in  
peccatis, & propter peccata demersus est in per-  
ditionem sub ira DEI, maledictione, damnatione,  
potestate Sathanæ, mortis, inferni. Nec pot-  
est vel per seipsum vel per alium liberari: Sed  
(Jesus salvum faciet populum à peccatis,) & à stip-  
endio peccati, quando scilicet peccatum victi-  
ma corporis sui expiat, & illam suam satis-  
factionem fidei credentibus applicabit. Nec ve-  
rò tantum respectu termini à quo Iesu est: sed  
& respectu termini ad quem quia liberatis eti-  
am veram confort salutem, remissionem pec-  
catorum, reconciliationem cum Deo, gratia-  
tam acceptationem, adoptionem, pacem con-  
scientiæ, donationem Spiritus sancti, salutem &  
vitam aeternam. Hi duo termini, à quo & ad  
quem, ut ita loquar, debentur illi soli, cui divino  
decreto & iussu impositum est nomen Iesu. Et  
qui fingit se his non indigere, vel alia ratione illa  
se posse acquirere non est populus hujus IESU:  
quia (populum suum salvum faciet, à peccatis ipsorum.) Et quod ad Syntaxin attinet, usitatum  
est in Scriptura nomini Collectivo subjiceret Re-  
lativum plurale, id est dicit: (Salvabit populum  
suum, à peccatis ipsorum.) Cumqù Cicero ipse  
fateatur plus significari Graeco vocabulo σωτήρ  
& σωτηρία, quam Latina voce Servatoris &  
servandi exprimi possit, recte fecerunt veteris Ecclesia Doctores, qui ut salutem in Chri-  
sto nobis donatam plenius exprimerent, ma-  
luerunt vocabulo (Salvatoris) & verbo (Sal-  
vandi) minus forsan Latino vel Ciceronianò,  
uti.

Et

Et de verbo quidem seu radice, unde nomen Jesu deducitur, ex Angeli interpretatione manifestum est: quomodo verò inde formetur & quomodo originaliter scribatur queritur, quæ quæstio non est otiosa, sed digna bonis ingenii, in eo nomine, quod Salvatori nostro ab ipso Deo divinitus impositum est. Et observetur, quod à radice יְהוָה Josua primum dictus fuit υἱος cuius nomen Moses mutavit in υἱός Num. 13. vers. 17. Quæ mutatio quare facta fuerit, consideretur. Formatur autem υἱός ab Imperativo, quasi votum seu precatio, ut Deus salvet. Sed cum Deus promisisset, quod per filium Nun praefititus esset temporealem & typicam salutem, idèo Moses mutavit nomen ejus in υἱός quod vel à præterito υἱός præposita litera Jod denominatum, vel à futuro, mutato Jod in penultimo in Vaf, formari potest. Et licet futuri tertia persona regulariter sit υἱός tamen aliquoties interposita He legitur, ut 1. Sam. 17. v. 47. Psalm. 116. v. 6. υἱός unde per Hebraicam Vaf, loco Jod, in penultima formatur ροשׁוּת. Quodque ex futuro nomen illud formetur, Gabriel sua interpretatione ostendit, cum inquit: (*Sakum facit*) Illud verò nomen Latinis pronunciant Ιοφα, Græci ἵησος. Lutherus verò, ut veram derivationem, lectionem &criptionem aliquo modo indicaret, in Novo Testamento ubique scripsit Jhesus, exprimens Ebraicum He. Porro nomen illud Iehosuah, de Sacerdoce magno scribitur etiam brevius sine He. 1. Esd. 2. vers. 1. υἱός & ita appellati leguntur etiam alii sacerdotes, 1. Paral. 14. v. 1. & 2. Par. 31. v. 15. υἱός. Et Pagninus disputat nomen Salvatoris nostri scribendum esse non ροשׁוּת sed υἱός. Propterea quod Romæ in templo crucis, in titulo crucis, quem existimat ex Palæstina eò delatum scriptum sit υἱός. Sed certius agumentum est, quod Syriacus paraphrastes constanter legit & scribit υἱός. Et quomodo γ in

fine Græci & Latini legerint, ostendit nomen Elisa quod pronunciatur Elisæus. Ita ergò syllabatim legitur JE-s, & secundum hanc rationem scribitur Latine sine H. Non autem est Paul Kal, quod significat salvatum: sed est nomen. Exempla enim ostendunt, nomina, quæ ab hoc verbo deducuntur, in penultima loco Jod habere Vaf. Et ad differentiam Participii passivi, hoc nomen scribitur eum Zere, cui Græcis respondet H, vel Latinis E longum. Sed quomodo cunque scribatur, interpretatio ejus certa est, quod idem sit, quod σωτήρ. Nec verò Salvator tantum appellatur Christus sed & ροשׁוּת quod salutem seu salutare significat; ut nomen habeat Iesu non à transeunte aliqua actione salvandi, sed quod sit fons salutis, sicut Isa. 12. v. 13. loquitur, ex cuius plenitudine accipiamus & hauriamus semper & ubique veram, plenam, solidam & sempiternam salutem. Illud ροשׁוּת Græci pulcherrime reddiderunt vel σωτήριον vel σωτήρ, quod vocabulum etiam Simeoni placuit. Et in allusione ad futurum nomen JEsu, in Veteri Testamento in multis sententiis de Messia extat, ut in sententia, Genet. 49. vers. 18. ροשׁוּת Salutare tuum expectabo Domine Psalm. 98. vers. 2. Esaiæ 52. vers. 10. Videbunt omnes fines terræ ροשׁוּת salutare DEI nostri. Esaiæ 49. vers. 6. Ultis ροשׁוּת salus mea, usque ad fines terræ. Et 56. versiculo primo. Prope est ροשׁוּת salus mea, ut veniat. Esaiæ 12. vers. 2. Dominus DEus meus factus est mihi ροשׁוּת in salutem: Haurietis aquas in gaudio de fontibus ροשׁוּת σωτήριος καὶ σωτήρ. Et Hab. 3. v. 18. vulgata translatio vocabulum Ebraicum reliquit: exulta bo in DEO Jeshumeo. Hæc cum explicatione, quam Angelus de nomine JEsu tradit congruunt, & illam pulcre illustrant. Et quia digna certè est piis Ecclesiæ filiis diligens consideratio nominis JEsu volui Grammaticas illas observationes hoc loco annotare.

## C A P U T X.

CONTINENS HISTORIAM, DE MAGIS, AB  
ORIENTE STELLA DUCE VENIENTIBUS  
HIEROSOLYMA M AD ADORANDUM  
PUERUM JESUM Matth. 2.

## R A T I O O R D I N I S.

**H**ec est prima historia, de cuius anno 80iac ordine, seu quo loco in Harmonia Evangelica historia colloquenda sit, sententia variat. Quia verò non de necessario aliquo fidei articulo agitur, non contentiose dimicabimus, sed similipler tantum recensebimus, diversas opiniones, & quæ sint cujusque opinionis præcipuae rationes expomus, ut lector liberè inde statuere possit, quam opinionem, ut maximè probabilem ac commode amplecti & sequi velit.

Har. Tom. I.

Et primò vulgata est opinio, die post Nativitatem decima tercia, Magos puerum JESum adorasse. Cumque necesse sit, juxta hanc opinionem, Magos die post Nativitatem decima venisse Jerosolymam (convocationi enim & deliberationi Concilii: Item indicationi, examinationi & dimissioni Magorum, ad minimum tribendum est biduum) nec appareat quomodo tam longum iter ex Oriente, intra tam paucos dies potuerint emetiri, communiscuntur mirificos dromedarios, quibus Magi usi fuerint, & addunt alia etiam sine Scriptura miracula. Nicéphorus etiam contra scripturam fingit, stellam